



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

43. Contra alias ægroti querimonias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Objectiuncula altera.

Ecce morior, qui diutius vivere poteram. Imò certe non poterat: nam si posses: puto viveres. Sed hoc dicere vis, volebam seu sperabam. Et hoc tibi crediderim, prout a iuniorum mortalium vitæ avidus, spei credulus est. Modicum vixi, ais. Quid si plus vixisses, nunquid ideo non vixisses modicum? Spatia vitæ huius imparia & incerta sunt, cuncta tamen breviter: vixit aliquis octoginta annis, quid hic quæso plus jam habet, quam qui octo? nisi forte curas, laboresque, & dolores, & fædia ac peccata in lucro ponimus. Aut quid plus haberet si vixisset octingentis? nisi virtutes illius numeremus, non annos. Certe etiam Mathusale nongenti sexaginta novem anni, quid fuerunt nisi vapor ad modicum parens? Nullus omnino tam diu vixit aut tantum, ut non sibi modicum vixisse videatur, & est planè modicum quidquid hic vivitur: itaque si diu vivere delectat, vita illa querenda est, ubi semper vivitur, quæ etsi hic non sit, tamen hic queritur. Sed ego morior, inquis, dum bene agere cogitabam. Quid agere cogitabas, nec agebas? Sic forsitan in perpetuum cogitasses. Sunt qui bene agere semper cogitent, nunquam tamen incipiant, nunquam agant. Tu, credo, unus illorum eras. Quod si bene agere cœperas, ne dubites, quamvis boni operis finem mors prævertat, apud infallibile rerum æstimatorem nil tibi subtrahitur; integra merces tibi est, non actuum modò, sed & votorum. Bono sis animo. Rectum & breve iter ad præmium est, MOR.

Spacia huius vitæ imparia & incerta sunt.

Iacobi c. 4. vers. 15.

Mori est rectum iter ad præmium.

Ægrotorum querela sunt innumera.

Epist. 78. mod.

Dolores præteritos retractare miserum est.

Prov. cap. 3. vers. 12. Inceperationem ergo Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat & medetur: percutit & manus eius sanabunt. An nescis, vulnus quod à chirurgo est, medicamentum esse & initium valetudinis? Tu ergo non vulnus, sed manum vulnerantis attende, & fateberis te jam esse multò saniores (certè animo, si velis) quam cum esses sanissimus. At dolorem, inquis, gravem sentio. Quid si sentias, si illum muliebriter tuleris? Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne incommodum magis inflat cedenti & averso. Sed gravis est cruciatus. Non est fortium, levia tantum tolerare. Cogita, non dicam tot centena millia fortissimorum martyrum; sed alios tibi non ignotos doloris victores. Narrat Seneca fuisse

Seneca epist. ead. 78.

Idem.

A quemdam, qui dum varices præberet excandans, legere librum perseveravit. Martyres aspici: mutilatos, lectos, laceratos, ultos, confoscos, fixos, stillatim ac guttatim mortuos vides. In hos memoriam sparge; & mirare te illis cetera simillimum, illorum tamen patientiam dissimillimam esse impatientiæ tuæ. Sed nihil, inquis, agere me finit morbus. Itane, nihil omnino? Vide quæso: corpus tuum invalitudo tenet, non animum. Itaque, si cursor sis, tibi pedes sunt ligati; si furor aut faber, manus impeditæ. Quod si animus tibi esse in usu solet, suadebis, docebis, audies, discies, quæres, recordaberis etiam ægrotus. Quid porro? nihil agere te credis, si temperans æger sis? si ostendas morbum posse superari, vel certè sustineri. Est, sihi crede, virtuti etiam locus in lectulo. Virtuti locus est in lectulo. Habes quod agas; bene luctare cum morbo, & satis egisti.

§. 44. Ægrotus ad seipsum, contra seipsum.

Quid ago? sicine ante canos morior, nec mihi, quod aliis, conceditur, senescere? nimirum in hoc omnes errore versamur, ut non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque jam vergere: cum eò statim infantia, & juvenus, atque omnis nos ferat. *Ætas senectutis vita immaculata.* Senectus omnium pulcherrima est. *Proba vita.* Melius est, cani sint sensus hominis quam caput. Senectutis dotibus abundè dives est, qui coluit Deum, qui prudenter vitam instituit, qui bene vixit. Et porro gloriosius est, virtute suâ quam temporis dono senuisse. Quicumque ad extremum fati sui venerit, diu vixit, & senex moritur. Stat sua cuique dies, ad quam cum venerit, metam attingit. Sed ea vitæ avaritia est, ut, cum moriendum, omnes nobis juvenes, hoc est, immaturi ad mortem videamur, eam octogenarii senes. Sed quid frustra annorum tuorum paucitatem numeras? Deus tibi vivendi spatium scripsit in tabulis providentiæ suæ, istud tu non ampliabis. Hoc iudicium à Domino *Ecl. c. 41. omni carni; & qui supervenerit tibi, in beneplacito Altissimi: v. 6. & 7. sive decem, sive centum, sive mille anni. Non est enim in inferno accusatio vita.* In Orbe altero, nulli Deum accusant quod nullam vitam non dederit longiorem; seipsos accusant, quod vitam non vixerint meliorem. Tu igitur hoc age, & annos æternos in mente habe. Nulla est jactura punctum temporis amittere, & æternitatem lucrari. Generosissime dixit Rex Macedo: *Ego me melior non atavis spatio, sed perennitate.* Tu quoque te meritis, non annorum termino, sed æternitate, quæ nullum habet terminum.

§. 45. Ægrotus ad Deum.

Deus meus, & desiderium cordis mei. Ego missellus homuncio, & vermiculus vilissimus, hic lectulo affixus jaceo, sine manuum & pedum usu: otiosus, iners, torpidus, inutilis servulus; terræ grave pondus, nullus pro te labores perfero. Desidero tamen, ô Deus, desidero tui causâ quam plurimum laborare: desidero pro te algere, aestuare, fatigari, vexari, cruciari pro te: famem & sitim, molestias pro te quam plurimas perferre, dolores pro te acerbissimos tolerare desidero.

Hoc me desiderare docuit beatus Dominicus, qui cum maximis doloribus solito gravius urgeretur, monitus est à socio, rogaret Deum mihi secum agi. Cui vir sanctus subiratus: Nisi, ait, de tuâ simplicitate mihi constaret, te protinus hinc expellerem, quod hæc dicere non veritus sis. Et mox in nudam humum se abiciens: Gratias, inquit, tibi ago, mi amantissime Deus, pro his quæ mihi dedisti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da centum morbos: dabis etiam, far scio, simul patientiam.

Ecquid ego aliud dixero, quam hoc ipsum: Exiguum nimis est quod parior, ô Deus, his doloribus (alios, atque alios adde. Sæviore longè verbera sum meritis, quam tu mitissime Deus parcente manu infligis. Hic Domine